B. N. C
FIRENZE
1148
12

1148.12

SEPVLCHRALE SOLATIVM

ORATIO

IN FVNERE ILLVSTRISS. ET REVER.

CHERVBINI MALASPINÆ

ORDINIS PRÆDICATORVM

EPISCOPI VRBIS SANCTI SEPVLCHRI,

Olim Decani Vniuerſitatis Florentinæ publicè habita

Coram Theologis Magiſtris eiuſdem Collegij
in Eccleſia S. MARIÆ NOVELLÆ,

Die 16. Ianuarij Anno a partu Virg. 1669.

AB EXCELLENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO

D. RODOLPHO DE FORASAXIS

Florentino Abb. Ciuit. Piſtorienſis S. T. D.
Sub præſidentia.

EXCELLENTISSIMI

D. ANDREÆ SOSTEGNI CARMELITÆ S. T. D.
Et præfatæ Vniuerſitatis Decani.

BIBLIOTECA NAZIONALE
1372

FLORENTIÆ

Ex Typographia ſub ſigno Stellæ. MDCLXIX.
Superiorum Permiſſu.



1148.12

VT expectationi veſtræ (Patres excellentiſſimi) pro viribus reſpondeam ergo ne dolebo, commiſerabo, deplorabo perditum Illuſtriſs. & excellentiſs. Cherubim Malaſpinam, nec forè vt habeam vos beneuolos, ſi memorando eius egregia facta, lacrymulas, & ſuſpiria non excuſſero? Non ita vos parui facio, vt terriculamentis inane vobis negocium faceſſam, vt velim Animam vtputo beatam ſub laruali aliqua ſpecie, interfumantibus pice intorticijs quaſi in libitina deſcribere: Animus eſt laudatiſſimi herois vitam edicere, atque, vt ſolet, emerito, & Coronato militi trophæum, & plauſum apparare. Suis iam obtudit caput eiulatibus amicus, coniunctus, ſtipendiarius, quid? & ego ne ad rumorem populi componar? Quicquid contendat vulgus conſternatus phantaſtica, mortis imagine, quicquid deſperet ærumnoſa ſenectus: Habet, habet mors delicias ſuas, habet choreas ſuas vltima dies, & illas in Cherubino profuſiores, habet periodus vitæ puncta admirationis, habet abſolutiſſimum opus conſummatæ ætatis numeros ſuos, habet tandem fabula vitæ (ſi fabula eſt probatiſſimum vitæ exemplar) plauſum ſuum. Viden, ſi vita ornauit, & coronauit mortem, argumentum habes cur delicieris, non lacrymeris in Morte: Ementita adulationis officia ſin minus placuerunt viuo, eadem & diſplicebunt mortuo. Tantum abeſt, vt ego de induſtria triſtitiam ſimulem, vt in ſolatium veſtrum excogitem quęnam monimenta gratulationis Virum, ac Primatem declarent. Ac tum rem expendo: Giganteæ Virtuti Malaſpinæ decreui coloſſum, qui res eius geſtas Poſteris decantet, & candidatis ſit velut Cæſari Macedo pro æmulatione moleſtiſſimum calcar ad gloriam. Decreui Statuam non eburneam in delicium, non argenteam qualem Claudius, non auream qualē Domitianus ad pompam, ſed vel ex ſilice fulgurantem, vel ex marmore candidantem, vel

ex ærè æternum duraturam. Ego quidem ſi morè artificis incæpturus ſum opus iuxta idæam præconceptæ imaginis, exhibebo in medium ſimulacrum Virtutis; quinimmò, ſi lubet, ego ruditer Statuam excruſtabo, vos ſilentio expolietis profundius: Vos addite labori leporem, & quam benignè ſubtrahitis eloquentiæ veſtræ vocem, & motum, agedum inſpirate, & Opifici, & Operi.

Opportune, vti ſolent Sculptores in eximio quoque opere prototypum ſibi proponere, qui manuducat artificem, non ab re quidem, ſed conſulto ex aduerſum ſtat expolita graphis, quaſi magiſterium agentis: Vos, vtputo, Patres, dedita opera exhibuiſtis Imaginem ita viuidam, vt immota moueat, ſic facundam, vt verbum in mente dicentis producat. Illa aſpectus hilaritas etſi ficta ſincera eſt, illa Oris maieſtas etſi colorata ſine colore, ornata ſine fuco eſt. Ecquis vel ſanæ mentis figuram illam credat exanimem, quæ adhuc in tela ducit ſtamen incorruptiſſimæ vitæ? quis credat elinguem, quæ mihi iam tranſcribenti compendium virtutis, tanquam amanuenſi ex tripode dictat. Vos identidem molem hanc Sepulchralem quaſi modulum propoſuiſtis, ſignaſtis prima addititia nigro lapillo, addidiſtis vmbras, contuliſtis lumina: Atque ego dum ob oculos pono ampliſſimum Circum, video in flammantibus Cereis præclaram famam, video victuram in illuſtri face poſteritatis ſuæ celebritatem, obſeruo Sapientiam inapertis Codicibus nedum ſuperſtitem, ſed expeditam ad pugnam, in explicatis Religionum Inſignibus reuehentem triumphos. Atratus aulæorum, ac periſtromatum apparatus quid? inuitat nè ad parentales inferias: At attam abſonum eſt vt lugeatur extinctus, vt in nigro illo expanſo Sereniſſimæ Noctis quietem intuear. Iactaminor vos voluptates vitæ, oſtentatote etiamnum huius flores ætatis, ego verò delicias, & Mortalium ſortes in morientis Malaſpinæ ſuprema die perorabo: Vos exprobate cæteris humanam expulſere vitam, in puluere mortem; At ego recogitans emeritam Viri ætatem, & virtutem æternum ſtantem pro obeliſco ad filiorum

rum

rum imitationem, non ab re dixero luteam licet viuentis compagem vi mortis obduratam in marmereum monimentum æternitatis. Verum enimuerò initio operis hoc primum experior difficile nimirum coloſſeæ figuræ menſuras apte diſponere, vbi citrà manſuram animi, & corporis nobilitas, litteraturæ ſublimitas Religioſæ pietatis in ſe, & ſuis progreſſus dignitatis amplitudo, atque inculpatiſſimæ æſtimationis Opinio quoque verſum diſtenditur. Sed & alterum eſt perinde difficile ad Cælum vſque erigere Molimen, quod proceritate ſua vires frangit, & duritie porphiretica acutiſſimum quemque Scalpellum obtundit, quodque cum temporis voracitatem iam tum eluſerit, minus patietur vel peritiſſimo dicendi artificio in ſuas partes diſcriminari. Id quod partiri tamen non licet, iuuabit ſaltem coniungi: ex multiplici ergò virtutum calculo ſubducam in Malaſpina ſummam ſcientiarum exercitationem cum directricis prudentiæ experimento coniunctam: Nodum me hercle difficilem; & ne ſublimitas verticis ab incepto deterreat, ad elaborandam Statuę baſim me conuerto.

Quadrata figura eſt velut quadrati viri ſtabile fulcimentum, quadrata in probrum fortunæ, quæ in rotundo vacillat. Si veſtigas materiam, illa ex vetuſtiſſimo, & æque amplius duraturo Proſapiæ Malaſpinæ ſtipiti coaleſcit cuius ſplendentiſſima heroum lumina, ſi liceret ſerio, & replicata amuſſi deſcribere funebris hæc adumbratio diſpareret tota incurſu ſereniſſimę lucis. Neque enim Nabuchodonoſoris ædificium hoc eſt ad pedes ex argilla compactum, vt timeas illius ruinæ, quando (vt paucos numerem ex innumeris) theatrum occupant Comites Marchiones duces, equites belli domique clariſſimi, Oratores, Legati, Vrbium Principes, Moderatores, Antiſtites, Purpurati Multiplici litteratura, armis, dominatu, & affinitate cum Regibus potentiſſimi, quorum omnium aurea non terrea veſtigia preſſit probati nominis, nec minoris indolis Cherubim Malaſpina; Iure meritò igitur ſub eius pedes, (ſi iam non licet ea longius retexere) circum baſim conglobentur in faſces Vexilla, togæ, virgæ,

paluda-

paludamenta, palmæ diademata: Striato operi inſerautur in tributum gemmæ pretioſiores, loculamentis familiæ celebriora capita, vt qui omnium promeruit laudem, omnium oculis expoſitam aſſequatur, & gloriam; & bene vſque ad pedes trophęa hæc aceruatim conſurgunt, quæ heroi noſtro in omni munere fuerè calcar, & ſtimulus. In proſpectu Baſis appenſa reſideant familiæ Inſignia, Aquilæ videlicet imago, quæ vngue ſpinam arripiat, hoc ſanè argumentum valoris ad ſpinas difficultatum non ad otium propellentis menti meæ adeo firme adhæſit, vt altius perquirerem quid lateat veri ſub hac ſpecie expoſiti emblematis: Rem actutum expendo, ſi datis vacuas aures. Antiquitus excogitarunt Inſignia, vt Principem, & ductorem ſuum ab eo ſigno miles dignoſceret, ac tum conſecrabat animal, cuius auſpicijs res ſibi proſpere ſucceſſiſſet, eò potiſſimum fine, vt animalis eiuſdem genium ſibi propitium vendicaret: Viden mòdò quam affinis Cherub, & Aquilæ genius in Solem ſuum acutiſſimam aciem dirigentis! Nemo non nouit Aquilam nigram ab Imperatoria illa maieſtate propagatam, quæ Occidenti præfuit. Omnes norunt in Aniciorum Stirpe illa clariſſima nidificaſſe, quæ Gregorium Magnum, Benedictum, Maurum &c. & cætera primæ dignitatis ſydera Hierarchico addidit Cælo, quamobrem Spinas illas, quæ vſque ad pedes Aquilæ exporriguntur, nemo non dixerit forè Spinoſa ſceptra, quibus olim adnatę ſunt, & modo adnaſcuntur Roſæ Gratiarum.

Hiſce Trophæorum geſtaminibus adumbrata Baſi, interea progredior ad primas cælaturas imaginis figurandæ: Ex Gaſpare Malaſpina Marchione Treſchieti in Agro lunenſi, & Godiaſſis in Inſubria par filius naſcitur, & dat nomen Ferrantis Aniceti Chriſtianæ militiæ: Terribile nomen, & omen Sathanicæ poteſtati! Vix duodecimum annum attigit nobilis Adoleſcens, cum iam veritus ne nimium fieret adultus in ſęculo, in quo vita breui curriculo ſeneſcit, ſuſpirare cæpit Angelicum æuum, vnde & nomenclaturam Cherubim ſumpſit, atque inter Nouitios Dominicanæ familię geſtit adſcribi, vndè exugens

lac Doctrinę Angelicę educaretur vt Angelus. Generoſus animus non paſſus tenellum Corpuſculum titillari illicio, aut pungi aculeo voluptatis, abijcit fragile pallium, & armatur candida tunica, ac ſupernigra Conueſte, vti validiſſimo Caſtitatis, & Pænitentiæ munimento. Proh fatum! quas prohibui lacrymas in morientis memoria iam reuoco in renaſcentis exordio. Solus ego nunc mecum contemplor canditatum militem, nec vos me interpellate. Conſecraris Deo, & D. Dominico mi adoleſcentule in hac æde Nouellæ Virginis nouellum lilium, & vere lilium inter malas ſpinas, dum inter lamentatiunculas Genitorum, & Spinas doloris tu rides, & bene eſt, nam qualis floſculus hianti ore præbibis rorem lacrymarum, vnde colligat apis diuini ſpiritus nectar conſolationis: Illud vere ingenuum in te quadrare videtur, quòd capias roſas, ſpinas deſeras, & hoc tibi magnæ ſpei adoleſcenti apte proludit, quòd ę ſpinis colligas vuaſ.. Extricas te tandem ab amplexantium nodis, & qui veſtis plumas alati Cherubim, non abhorres licet delicatulus lectiſternium rude, aſſuetus licet famulantium obſequijs, & blandientium accurſibus, Præceptoris ſupercilium non refugis, ſed oculis in terram defixis vt modeſtiam prædices magis, quam addiſcas; Nec aliud deerat Cherubim tibi puerulo, vt etiam Seraphim, ſeu totus Amor euaderes, quàm vt inclinatis prope oculis cæcutires. Iam tum aduerto cur alate puer cum Spinas geras vt Sagittarius, ad Canem Dominici accedis aut venaturus Cælum, aut reportaturus amatorias faces: Sed ſiſte gradum incaute, Cuſtos Canis ad fores allatrat, & morſu inſidiatur furtiuorum calcaneo. Mirum! imperterrita manus Religionis ſtimulo quaſi Spina ſuffocat trifaucem Cerberum, putas timebit, ne Catellus ipſum abſterreat. Quin accurrit, & adblandienti feſtiuo rictu geſtit Canis, & veſtigia pueruli, cum Chriſti bonus odor ſit, odoratu perſequitur.

Sed & illud animaduerto A. quòd alijtres germani fratres, quamuis non eodem temporis interſtitio, ſacro initiantur tyrocinio, ac cum videre erat humiles paruulos quaſi Cherubim al-

ter ad alterum reſpicientes in Propitiatorium, ſeu quatuor Comites Iouis nouella Sydera Dominicano Cælo affulgentia. Quæ vos Genitoris auſpicia ſumitis, dum natale conſecratæ prolis noua conſtellatione colluſtrat Iuppiter non in peregrina Domo, ſed ſuæ dignitatis? Quæ prouentura portenditis? Hæ ſimul vnitæ faces magnum ne glomerabunt incendium? vtique, ſed Amoris: Ardet Malaſpinarum rubus, nec comburitur, Deus ergo in medio rubi eſt, vnde quid ſperas præter benedictiones? Videant Theologi qualis hæc eſt Sacræ litteræ noua colluſio: Benedicta terra, quæ malas ſpinas germinat; Infelix quippe Mundus, qui Spinas perdidit, nec habet iam quo cuſtodiat flores, quos impune rapit Religio, ſed fortunata parens Florentia, quæ cum Paradiſus deliciarum ſit, obtinuit Cherubim cuſtodem.

Et verò nouus Cherubim Animæ ſuæ potiùs, quæ erat in claustro hortus concluſus factus Zelantiſſimus cuſtos, & cultor Inſtitutionis Regularis monita blande excipit, iucundiùs exercet, necquicquam aſperum, aut durum ſuſpicari voluit Adoleſcens, qui in ipſo rigore Obſeruantiæ cereus fuit, & flecti facilis, & quod mirum eſt, planta pedum etſi anguſta æquauit, & dum preſſit pari gradu Maiorum veſtigia, adeo vt male hic vſurpes adagium: Pes paruuli non implet Gigantis calceum; quare in ſtatu incipientium ſic bene cœpit, vt non dimidium facti haberet, ſed factum coronaret. Sed hæc ipſa indoles ad pietatem propenſiſſima quam viuida eſſe potuit, quam audax in contentione ſcholarum? Deo ſeruire militare eſt. Ea vi, ac felicitate in aciem proripuit, vt in ipſa fronte Statuæ, quam deſcribo, iam ſublucceat quædam primigenia alacritas clypeatæ Palladis. Mitto (ne vos prolixius morer) primam expeditionem in rudimentis, mox in latinis lucubrationibus, quæ puer vt prima crepundia ſerio didicit, ſed ex ioco tractauit, nam Cherubim, cuius nomen ſublimiorem Scientiam, & Dei notitiam ſonat, iam non ſuſtinet inter prima elementa balbutire, ſed totam Iliadem in eruditionis nucleo concludit, vt expeditior ad volatum, velut

Aquila (cuius auſpicia præfert) acerrimos oculos figat in Solem Angelicum D. Thomæ, vt contrario euentu quas maculas veſtigauit Galileus in ſuo Sole, hic dilucidaret in ſuo. Multum proculdubio aſſequitur, qui Diuinitatis, arcana toto Deo plenus vel aliqualiter attingit: Sed o bone Deus! Quantum ætatis, laboris, vigiliæ impenditur in quiſquilijs Dialecticis, quantum Phyſiologi inſumunt in rimandis vſque ad internecionem Naturæ dotibus, ſuſcitandis; ſedandis litibus, quantùm ſuſtinet Theologus vt ab ore Oraculi pendeat! At tu feruidiſſime Adoleſcens pygmæone gradu, vti ſolent tyrones, qua feriando, qua diuertendo animum ad colloquia, ad mitiores curas veritatem quæris in foro ne an in puteo democryti, adultam doctrinam ſub pallio nè, an in Peripatho philoſophantium? Hic profectò præcocis Sapientia lineamenta Coloſſæam proceritatem exporrigunt. Vix quadriennali conuictu decimum, & ſextum ætatis annum abſoluerat, cum Philoſophiæ licentiatus iam ante Profeſſionem integrum annum exercuerat in Theologiæ profundiſſima ſpeculatione: Quod ſi in ipſis propemodum incunabulis alter Hercules colubres difficultatum diſcerpit, quouſq; proceſſura eſt tanto ex conatu virtus? & vt fatear verum, quæ de puero modicè dixi, de magno timide dicerem. Hinc abunde noſtis qualem militiam profeſſus ſit Malaſpina; in lubrico ætatis nè laberetur incauta inuentus pedes figit in Paleſtræ puluere, & ad eluctanda prima offendicula robuſtiſſimus atleta ſub accenſa Canicula Parentis ſuis Dominici, ſub ardentiſſima face Solis Angelici tanto æmulationis incitamento in agone Scientiarum contendit, vt cæterorum meritum præ ſua gloria vileſceret, omnium præriperet palmas, & (quod rarum eſt) nullum fugacis famæ, aut ſubſultantis iactantiæ veſtigium relinqueret. Parum eſt in prodromo Virtutis ſucuſſatoribus equis brauium præripere, parum eſt vel mediocrem virum aſſurgere gigantem ſupra turbam homuncionum; eximium verò negocium eſt in lynceo D. Thomæ antecellere tot velociſſimos curſores ad gloriam, atque eminere in theatro hoc tot primæ cohortis licentiatis

 viris

viris omnigena litteraturæ excultiſſimis. Et hoc celebrati Iuuenis teſtimonium habes, quod cæteris longo interuallo præcurrens inauguratur Baccalaureus; & parum hoc eſſet ſi cum Hermogene, aut Caligula viris in viridi ætate ingenio quamqui maximè audentibus, ſed mox degeneri, iudicio retrogradis deſidia torpuiſſet; enim vero ſupremum Magiſtratum promeritus in regentis munere omnium ſuffragio virtutum collocatur; quam Cathedram per plures annos heroicè propugnat; & ex alta illa ſpecula perinde ac primum mobile regulat ſubiectas ſphæras.

Quotus quiſque maiori ſubtilitate, facilitate, perſpicuitate declamaret doctrinam Angelicam quam Cherubim? quis profundius pungeret Aduerſarios quam Malalpina? quis ſecurius è conſpectu diuini Solis quam Aquila probaret filios, quos docuit non conniuentibus oculis in altiſſima; ac remotiſſima rerum principia viſum dirigere; & hoc enumerat Salomen inter difficillima: Viam Aquilæ in Cælum. Tot Magiſtri, Regentes, Doctores, Profeſſores, quibus in præſentiarum hoc Monaſterium exuberat, quorum laudationes decantant Suggeſta, Exedræ, Academiæ, ex quonam fontè biberunt defæcatum liquorem tantæ virtutis? Ab illa vtique ſcaturigine emanarunt putei aquarum viuentium, vnde Vniuerſitas noſtra vbertim irrigata, ac ſi prope Caſtalium riuum, lauros ſæpè regerminat. Veſtrum præſentia, qui tanti herois Magiſtrali charactere inſignitis eſtis, ſatis prædicat quicquid ego prolixiùs proloquerer, quique viuam ſpeciem Magiſtri exhibetis, ad illius ſimulachrum repræſentandum veſtram, obſecro, nauate operam. Erectæ iam ſtatuæ quenam Ornamenta licebit adnectere, quæ manifeſtent Excellentiſſimam Viri Scientiam? Certè nihil aptiùs quam Veterum Sacerdotum Rationale auro, ac gemmis elaboratum ante pectus appenſum, in quo deſcripta erant Doctrina, & Veritas. O quam bellerelucent hæc Theologica lumina in medio huius atratæ fuliginis! At enim Excellentiſs. Theologus Malaſpina quo pacto tam pertinaciter occupatus in Diuinorum contemplatione potuit exactè ſeruare leges Ethicæ aut directricis prudentiæ?

dentiæ?

dentiæ? Longe verò interſè diſſident pura Dei veneratio, & inculpata praxis Æconomicæ, ſeu Politicæ gubernationis. Atqui Malaſpinæ genius verſatilis eſt, qui Dei ſimul, & hominum negocia laudabiliter tractat; Malaſpinæ ſpiritus Deo conſecratus eſt, & Animarum ſaluti, ſpiritus adeo viuus, & efficax, vt vel perditiſſimum quemque Deo reconciliaret. Tempeſtiua ſuauitas, aut acrimonia in componendis, aut continendis in officio ſeu Religioſis, ſeu licentioſis viris: Ingenua frontis ſerenitas; aperta cordis alacritas eam illibati animi dexteritatem declarauit, vt adhiberetur frequenter ad ſeria conſilia, ad frangendos animorum impetus, ad pulſanda ſomniculantium deſideria; ac potiſſimùm in via Domini mirum eſt, quibus Charitatis officijs vel rebelles voluntates compelleret ad ſuſpiria, quo labore vel ſterile ſenticetum verteret ad bonam frugem, qua occulta vi, vtputa magnetica nedum traxerit, ſed proficientium perſeuerantiæ fuerit tenaciſſimus, vt non ab re dixeris Malaſpinam fuiſſe haſtam Achillis, quæ feriendo ſanaret. Qui ergo fieri potuit vt Cherubim cæteroqui Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudioſiſſimus tam ſedulo incumberet Conſcientijs ſpiritualiter educandis, ac Deo mancipandis, quandoquidem eiuſmodi intellectus ſpeculatiuos tanquam Commercio humano inutiles arcet à Republica tum Sapiens ille penes Platonem, eoſque iudicio Ariſtotelis ridet vulgus tanquam non accuratos in negocijs ciuilibus, tum Politicis: Id quod Agrippinæ propoſitum fuit vt Neronem ab otio litterarum traduceret ad ſtrepitus Curiæ, & bellicas expeditiones, & Iulius Agricola a Matre compulſus eſt libris valedicere, vt liberiori ſpiritu arma capeſſeret. Ob id propterea non ibit illaudatus Cherubim, quod antiqui Romuli, & Numæ Pompilij genios in ſe vno coniunxerit, qui dum interea Pietatis, ac ſacræ Theurgiæ eligitur *Zelator*, & cuſtos, Religioſæ tamen politiæ curas haudquaquam tumultuarie decoqueret.

Quamobrem cum iam nulla poſſet carpi cenſura caſtigatiſſima Viri integritas, tanquam Cauſidico Salutis deuotiſſima So-

 cietas,

cietas, quæ vulgo effertur S. Benedicti Albi ſe ſe ipſi in clientelam Commendauit, illa, inquam, Societas vbique celebris nobilitate, modeſtia, grauitate, humilitate, atque; vt dicitur, Religioſitatis Obſeruantia in viridi, illa Sodalitas, cui pro militari theſſera eſt benedictio, candor pro paludamento; perſeuerans timor pro thorace, Oratio iaculatoria pro gladio; Societas, ſeu Amoris aſylus à Sæcularibus curis in quo adhuc addiſceret Silentium Pythagoras; legum inſtitutiones Solon, obſeruantiam nos ipſi. Iure merito huius Orbis nouus Atlas eligitur Malaſpina, deſcribitur Corrector. Sed quid age corrigeret in purgatiſſimo exemplari? Præfuit propè annos duodecim, ac ſalutaribus Monitis, per vigili maturitate potuit corrigere ſin voluntariam Subditorum oſcitantiam, aut indulgentiam quandam, ceu decliuitatem in deterius, potuit cor omnium erigere in ſui admirationem, dum a ſuo Rectore tanquam a ſpeculo ſplendor Societatis pinguiori fænorè lucis ob omnium Oculos refiliuit.

Tanti miniſterij experimento ſui Confratres illum primis Prouinciæ præfecturis ex voto deſtinantes, præficiunt Monaſterio Prati in munere Prioratus, mox in hac Vrbe Florentiæ munia itidem Prioris obiuit eam laudem aſſecutus, vt inter tot huius Capituli Magiſtralia capita adhuc emineret vt Caput. Adhæc in Romana ditione, ſiquæ ſunt Inſigniora clauſtra Virginum Monailium, ipſum habuere moderatorem, & ducem, nec defuit ipſo gubernante ardentiſſima lampas, quæ Veſtales illas Deo dicatas in Sponſi Cæleſtis amorem fortius inflammaret. In Comitijs Prouincialibus pluries, ſemel in Capitulo Generali cooptatus eſt in numerum definitorum, Romanæ tandem Prouinciæ primatum contulit non ambitio, non quæſiti colores, ſed obligata Electorum voluntas publico bono. Huius egregij Regiminis proficuos Religioni prouentus, quos ex fuga temporis non recenſeo, quiſque poteſt ex enarratis ſeriem locupletatiorem retexere, quodque remoratur tarditas ingenij mei, fama diſcurrat. Sin minus prædicaui Virum, inter Vmbras exequiales, adumbraui tamen, & ſi minor eſt Vmbra ſuo Corpore, eius lu-

cidiſſima Virtus in cauſa eſt, quæ ſupra nos, quaſi in meridie ſuo fulgore ſe prodit. Et vos Patres Excell. addidiſtis Vmbras, quando Lauream magiſtralem donaſtis, coronaſtis Apollinem, qui huius Collegij glorias decantaret. Fortunatius te Cogito, auguſtius te demiror Collegium Florentinum ingreſſu noui herois, quippè ſi colonorum induſtria fertileſcit arbor inſitione virgulti feracis, non dubitò quin fæcundior propagata ſit laurus poſteritati; vbi lauro inſeruiſtis tot primæua argumenta Virtutis: Nec verò preterquam Vniuerſitas capere poterat vniuerſæ facultatis fertiliſſima ſemina, nec alium huius Vineæ operarium admittere quam Cherubim, nec aliam ſepem, quam Malaſpinę, vt non ocioſa Academia hec videatur mundo

Nec enim leuia, & ludicra petuntur præmia.

cuius ſemen deſiderium eſt ingens beatitatis, at Immortalitatis, & gaudij meſſis vberior; Habet, habet mors delicias ſuas, cum ipſe ſudor mortui, ait Hieronymus, deliciæ ſint viuentis. En alterum Collegio noſtro felicitatis præſagium, præficitur Malaſpina Vniuerſitatis tutelare Sydus, quando intercurrente a partu Virginis anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo, quinquageſimo quarto Decanus eligitur: Noua, ſed felicior Imperij proluſio, iterum plantæ, Lauri nempè eligunt ſibi in Regem Malaſpinam, & Rhamnum, ſanè felicior, cum illa prior attentarit Primatum ad corruptelam, hæc ad tutelam, illa vt pungendo eliceret Sanguinem, iſta ſudorem, illa vt de medio tolleret ſibi ſubiecta, hæc vt è medio virtutis ad culmen honoris extolleret. Sed age ſub Spinoſo Imperio, quæ porrò legum ſuauitas, quæ diſciplinæ cultura? Quid ſub Vepre non ruptum, non laceratum? At habet Ionathæ virgam, ſed quæ mella propinet ex cuſpide. Et verò tot acutiſſimis Theoſophytarum mentibus quidnam accommodatiùs præſideret, quam aculeata Sapientia? quid condignius anteiret, quam fulminibus armata Iouis maieſtas? Quid aptius in medio huius peryphæriæ puncto conſiſtat, quam qui omne tulit punctum? Caſu venit vt intuenti mihi occurreret imago Cæſaris, ſuppoſito ingenioſo emblemate, prægrandi videlicet

delicet

delicet Diademate pluribus alijs Coronis, ſed paruulis ſuperpoſito; atque hæc erat Inſcriptio: Suo pondere premit. At ego pie magis, & verius Malaſpinæ lauream tunc temporis ſupra cæteras ſuo primatu eminentem hac proſopopæia inducerem: Super omnem gloriam protectio: & quia in ſede illa ſuprema Decanatus erat velut Iuppiter in domo ſuæ exaltationis, ex Decano inauguratur epiſcopus Vrbis S. Sepulchri; dignus qui Alexandrum VII. auguſtæ mem. Pontificem in ſortem huius miniſterij, & electorem habuerit, & præconem; quando coram veneranda illa maieſtate examini expoſitus tanta exercitatiſſimi animi ſecuritate, ea perſpicuitate propoſitis, & obiectis fecit ſatis, vt non periculum feciſſe diceres, ſed antemurale ſe præbuiſſe difficultatibus; quare Alexandri admirationem, & laudem promeritus, hoc rarum obtinuit: Laudari a laudatiſſimo viro. Magno dicet quiſpiam apparatu dierum, per vigilijs, & ſtudio hoc anticipaſſe habilitatis experimentum, non defuiſſe fautorem inter locutiones, Aulicorum importuna officia, quibus præoccupando competitores, animum vinceret Pontificis, atque ipſum interea conſulere Viros doctos, euoluere volumina, fatigare aſceteria vt Prælaturę tantæ ſufficeret. Hinc torquere animum operoſa ſedulitas, hinc iactare mentem ex aliena, & ſua expectatione ſuſpenſa, ſemper ambitio. Hic plerumque abuſus eſt, nec inficior, turbæ tumultuantis, ac ſæpe irrumpentis ſola ſpe lucri, & præcipiti cupiditate ad infulas, & tiaras: & hoc piaculum ſuſpicaminor vos in Malaſpina, vt ex turba hominum accurrat, vt id negocinm faceſſat? Neutiquam verò Patres; quod ſi meam vos fidem haud ratam habetis, fidem aſtruat modeſtia ipſa, demiſſio, & abdicatio viri contemplantis quietem ſuam, faſtidientis venales fauores, & precarias Curiæ curas. Non qui intus Anachoreta, vt aiunt, extra Aulicus, non qui in iactu fortunæ, & in iactura honoris, ſed qui dumtaxat pro cauendo alieno diſcrimine ita miſceat ſe multitudini, vt tamen ſit Peripateticus Deo, Pythagoricus mundo. Idcirco illum non affectantem epiſcopale munus Magnus Dux Etruriæ Sereniſs. habito

bito meliorum delectu inter cæteros nominat. Inopinato Romam aduocatur ſic iubente Pontefice Max. atq; ſicut ignorata, ſic non examinata cauſa vrgentis expeditionis, raptim illo ſe confert, ac vix intra Vrbem recepto, indicitur proximo mane examen coram Pontifice. Quid ille? ex itinere quis illi commeatus ſupereſt? laxatæ, & inquietæ valetudinis, ac defatigatiſſimæ ætatis. Tandem in agone contendit, nec imparato temeritas intulit probrum, ſed Veterano tantam Venerationem, vt ſummus ille Eccleſiæ Princeps, ſub quo curuantur imperia, e cuius conſpectu omnes linguæ ſilent, nedum non inſalutatum dimiſerit, ſed in obſequium compertæ virtutis dignatus ſit panegyrim edicere. Alexandri mos fuit potiſſimus grandibus donare grandia, nouit intra Malaſpinas melius potuiſſe purpuraſcere Roſas, quam Violas; At vidit fortaſſe bonus Paſtor tametſi temporis, aut ſortis iniuria Oui ſuæ dilectæ purpureum deeſſet, aureum vellus non defore: Porrò, ſi defuit Eccleſiaſtico Cardini gemmata clauà, decus, & vigor non defuit, florida illa defuit muricis ſpecies, fructus non defuit. At certè quid opus emendicare mutam imaginem ei qui ſortitus iam eſt ex Pontificio Oraculo viuum, & verax ſui teſtimonium valoris?

Iam nouus Antiſtes alienis exornatus laudibus non ſuis, ſuo opulentus merito non extraneo, in Patriam reuertitur, ſe ſuaque Sereniſs. Magno Duci in obſequium obſtringit, & inſimul profuſiſſimo fœnore tanti Principis voluntatem in ſe, & ſuos alias propenſiſſimam viciſſim ſibi deuinxit. Atque vt reticeam ipſius nedum Genitorem, ſed Auum, ac Proauum Mediceæ Curiæ egregios Adminiſtros; quibus ex ceteris Malaſpinarum familijs ad Aulam primus adytus patuit, in qua apprime adhuc ſplendent fratris ſui Marchionis Io: Laurentij ampliſſimæ indolis ornamenta, tum in equeſtri munere, tum in vſum publicæ, nuſquam tamen priuatæ vtilitatis, adeo vt ne ſua deeſſet merces nulla ſpe lucri, aut fortunæ mancipato ſeruitio, liberaliſſimus Princeps Pocillatorem deſtinat, mox primi Cimeliarchæ honore auget. Satis, inquam, liquet etiamnum dum Cherubim in

Religione

Religione degeret Medicei Principes quanti fecerint, & qualem toti Curiæ in Ciuitate de eo opinionem promouerint. Nec dubito quin ſollicita expectatio ſui Cleri, & Populi dudum Præſulis ſui aduentum præcucurrerit. Iam pridem tantam de eius integritate ſpem Ciues conceperant, vt licuiſſet Paſtori de Ouibus etſi nondum præſenti dicere cognoſcunt me meæ; Sed enim Solem ſua Sydera norunt. Et vero ſupra æſtimationem, ſupra famam initio expoſuit ſe omnibus tam præclarum pietatis, amoris, vigilantiæ, æquitatis, ac Religionis exemplar, vt tota protinus Ciuitas ad Prælati normam ſe ſe vltro compoſuerit, ea propenſione animi nouas Sanctiones, ſalubria monita, obiurgationes perinde ac lenimenta excipiens, tantum abeſt vt frenum momorderit, vt vnam ceruicem deſiderarit idem cum Clero Populus, quam iugo ſuauiſſimo aceruatim ſubderent per velociorem Obedientiam. Publicè Pontifex, priuatim Monachus, cum nullius foret aſtrictus Religioſo Ordini omnium Inſtituta coluit, Proximorum congaudens profectibus, defectibus condolens, ita fluens, & excurrens, quò Charitas compelleret, vt tamen iuxtà Apoſtoli ſenſum extra ſe non efflueret. Quod in amantiſſima Nutrice naturæ debitum expoſcit, ipſi familiare fuit; Omnes vt filios dulciſſimo, ſed verò, ſed pari amore complecti, acriter ex aduerſo ad culturam Vineæ reuocare ocioſos in foro, quippe veritus ne licentia, aut torpore operarij ſterileſcerent, imitatus rigorem Spinæ, quæ frangitur, non flectitur illud ſæpe animo voluens, quod ſalubrior eſt mordens pietas quam mulcens iniquitas; Atque id ipſum maximè reputans, quod Prælati imperitia ſubditis confidentiam, eruditio timorem creat, hanc apud omnes aſſequebatur fidem, quam Samij de Pythagora: Pro quolibet argumento hic efferebatur Achylles: Ipſe dixit. In quauis Animæ fluctuatione: Ire iuuat, aiebant ad Sacram Anchoram. Ad tribunal pauperum, Viduarum, ac Virginum Aduocatus magis quam iudex: Eccleſiæ patrimonium reputat deberi magis alienis calamitatibus, quam ſuo commodo, aut pompæ. Ipſa in Clericis reſtituta tum ſacræ rei

peritia,

peritia, tum vitæ innocentia, dicat quid ipſis profuit magis an, ſub tanto magiſtro ediſcere, vel ſub nutricio educari.

Interea dum in omnium Oculis eſſet, ab omnium oculis præcipitur poſt vndecimum annum in ſua ſede omnibus titulis conſecratum. Vitam, quæ nunquam ſua fuit ſed populi, populo reluctante, grege acerbiter eiulante, reddidit Creatori: flere omnes domeſtici orbitatem Domini Sui, lamentari clientes præſidium ſuum. Sed iam forte non deeſt mutuum lugenti Solatium, quod & ipſe exemplo Niobis propter amiſſos liberos, in ſtatuam nimio mærore rigeſcit; Quin potius Cherubim exultans valedicit ſuis, ne deſiderium ſolummodo relinqueret, ſed gaudium ſui, qui duas cum clauderet vitas actiuam, & contemplatiuam, duas reſerat Amoris, & Viſionis beatæ. Quid illi aut Mors, aut tumulus metum incuteret, qui tot Coronas, lauros, pretextas & faſces Vrbi S. Sepulchri ceu nouus Iaſon Templo martis appenderat? In Sepulchro tandem, vbi auſpicatus eſt Cherubim ſuæ exordia immortalitatis, ibi par eſt feliciter reſcidiſſe nodum vltimæ fatalitatis. Ceſsit, inquam, e vita, quam ſuis in bene viuendi norma reliquit, redit hodie, A. ad vitam, dum veſtræ reuixit memoriæ, Tum dignus, qui lugeretur in morte, nunc dignus, quem Solatijs proſequamur in vita. Si delicias habemus raræ virtutis, quæ delectent, mortis putre refricare vulnus quid iuuat. Ad rem Bernardus: Quas guſtare non poſſumus, odoremus delicias, & tanquam a Polycleti abſolutiſſimo opere, ſicut a lege vniuerſæ perfectionis, vt monet Plinius petant gloſſemata artis artifices. O tandem quam belle accidit vt illius Imaginis è regione pendentis radiante vultu, noua Memnonis Statua, quam compoſui, ſuas voces articulet, quæ licet vmbris ſuis exquiſite diſtincta, tot in faciem meam eiaculatur lumina, vt ea vix ferat Oculus. Quorſum ergo in faciem Solis obſerare feneſtras, & rimulas, & toto nigricante pariete tragicam noctem agere? En quam pulchre vel Vmbra ipſa Heroum Sole clarius ſplendet! Non quod Mortem, vt olim ægyptij faciam argenteam, & vt fertur, eius Spiculum aureum: Corda-

tos Viros alloquor, quos tanta iam exhilarat Serenitas, vt pudeat in oculos impingere vmbras, & puluerem.

Iam, iam conſummati Operis ſtructura in proſpectu eſt, non alius Amphionis cantus, aut ſuadela omnem lapidem mouit, quam fama huc illuc diſcurrens; iuxta poſitione partium eò deuenit Oratio, vt ad Cælum vſque euexerit laudibus in hac theatrali amplitudine erectam Statuam Illuſtriſsimo Præſuli Malaſpinæ, & bene vſque ad Cælum, cuius infulato capiti arridet puriſſima Olympi ſerenitas. Suus tamen, & vmbris locus fuit, nec ego, Patres, vt cæteri Rhetores atratas exequias aſperſi floribus, nam flores, qui prope vmbras naſcuntur haud genuinum pallorem protuberant, ſed lucida facta commendatiſſimi Herois quaſi ſtellas firmamento attexui huius hic adumbratæ noctis, ratus lumina è regione caliginis magis conſurgere; Actum ſub oculis veſtris, Patres, tanquam purgatiſſimo Cælo ſuppoſui ſculpturam neglecti operis, ſubobſcuro dicendi ſtylo, ſic enim luculentius exhibet, quicquid illuſtre memorat ſuis vbique Vmbris diſtinctum. Ex quo non lapide coaluerit ſtructs ædificii, non ſatis mihi perſpicuum, ſiquidem ex ſilice, iam ab illo affectuum veſtrorum igniculos excuſſero; ſed verius ex magnete dixero, qui ferro duriorem patientiam veſtram huc traxit; ſeu potius ex marmore, vnde contingat mihi impetrare, ſiquidem benignas veſtrum aures offendi, vt ſcribat quiſque in marmore læſus non iniuriam, ſed veniam. Ego vero ne perorando vltra quam licet, audaciam prorogem, feralem Inſcriptionem, ſed breuiuſculam ad pedes deſcriptæ Imaginis affigo:

Hic ſtat, non iacet
in Olympica non Sepulchrali arena
Cherubim Malaſpinæ
Biturgienſis Epiſcopi
digna Imperio ſpecies.
Pluribus ideo aucta Coronis Laurea, & Aurea
In Cathedra Scientiæ ſimul, & Conſcientiæ
Profeſſor, & Aſſeſſor
Domi foriſque arbiter pro Iure Conſultiſsimus.
Germen Floridæ matris
Regerminauit Religioni Lilia,
Feretro Sancti Sepulchri Violas:
Hinc fœneratus immortalitatem
Vſura lucis, quam fatis conceſsit
(tredecim abſolutis ætatis ſuæ luſtris)
AEternum viuit Prælatorum Prototypus, & exemplar.

ELOGIA, ET DIVERSI GENERIS

Carmina

In funere Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi

Præſulis

Cherubini Malaſpinæ

Prædicatorum Ordinis

Et

Biturgienſis Epiſcopi.

In Defunctum Cherubinum Malaſpinam Epiſcopum Biturgiæ.

O D E.

Eccleſia ſub Allegoria Roſæ deflet amiſſionem ſpinæ ſui cuſtodis.

Quam purpurato flumine conditor
Lactauit orbis, flebilibus Roſa
Perſtricta telis, Cherubini
Funeribus lacrymans parentat.
Ergo immerenti funere pallidam
Rapit volantis temporis impetus
Spinam? vnde cerno conuolare
Fata nouis animanda fatis?
Heu ſpina noſtro murice carior
Per te veneno Cypridis ebria
Dextra exulabat, ne maligno
Virgineum vitiaret oſtrum.
Auſu: & Gradiuum, cui riget æs triplex
Immane circa pectus, & impium
Fumante ferrum cæde gaudet,
E dormiit feriens acumen.
Sed nunc inermi ludere Mars, Venus,
Et fraudolentis dexteræ Mercuri
Atque innocenti iam pudori
Innumeram agglomerare cladem.
Queror? ſuperbis æmula nobile
Vepres triumphis inuideam tuis;
In fulguranti namque campo
Flore vires melioris anni,

In

In Eundem

ELOGIVM

Commendantur eius integritas, & ſuauitas Morum.

Ex radice Malaſpina,
Quam bonus flos, imò fructus,
Cherubinus erupit!
Qui cùm vita vndique innocenti
Bonum Chriſti odorem ſemper afflaret,
Eadem etiam perſuaui
Cæli ſolidum guſtum dedit.
Regum; Heroumque ſanguinem
Moſtrarunt in illo facta, non faſtus.
Nullo certè alio nomine
Digniorem ſe
Familiæ peruetuſtæ.
Tam claro ſtemmate approbauit,
Quàm quo ab eius origine
Oſtendere potuit ſeſe degenerem.
Mucrone namque ſpinæ prægrandis
Ilduini Ataui vltio ab eius nato
Interfectori Regi
Cum illata cæde repoſita
Malaſpinæ Genti
Inſigne dedit, & nomen.

Germen hoc
Cruentè clarum, aſperè generoſum
Dominicæ Crucis mitiſsimæ arbori
Cherubinus inſeruit.
Ac tum iniurijs ſibi, ac noxijs
Vltrò parens
Viſus eſt illud ex ſilueſtri quodam modo
Feciſſe planè domeſticum.
Quære nunc, an poſsint colligi de ſpinis vuæ:
Affirmabo ſcilicet & oſtendam,
Manſuetudo hæc Malaſpinæ tanta, tum dulcis,
Exemplo Chriſti, de Vite Chriſti progerminans,
Ingens, ſuauiſque botrus eſt
Non Cypri modo, ſed Cæli.

IN EVNDEM
ELOGIVM
Commendatur eius amor in Deum,
In Proximum
ET IN SOCIETATEM IESV.

Naturæ Cherubinus ſoluit debitum, moriendo:
Et veſtro vos, Biturgenſes, Antiſtiti
Iuſta ſoluite, lacrimando.
Sanguinem hunc cordis, lacrymas,
Veſtris ex oculis Malaſpinæ vulnus eliciat
Iacturam non poteſt tantam
Niſi qui non intelligit non deflere.
Communis illum neceſsitas ſemel abſtulit,
Qui neceſsitatibus omnium
Fuit ſemper maximè opportunus.
Scientia amoris eſt, prodeſſe alijs:
Id verò Malaſpina
A Cherubino cum haberet vt ſciret,
Vt etiam vellet, habuit à Seraphino.
O Scientiam, O Charitatem
Iam non dicam Angelicam, ſed Diuinam!
Ex Dei namque Schola
Bona conferre Cherubinus didicit & in malos,
Aduerſantes ſibi res paßus, & homines,

Tis

Illis forti pectore nunquam,
His dulci animo ſemper ceſſit.
Radicatus certè in Chriſti Charitate is fuit,
Qui eius vt exemplo, ſic cauſa
Alios bene merendo vincire,
Se ipſum mala patiendo vincere
Sciret idem ac poſſet.
Quid porrò mirum, ſi Ieſu amans, & Socios
Cùm his frequenter æque, ac ſuauiter conſueſcebat?
Cum oleum effuſum Ieſu nomen ſit,
Eius in odorem, vbicumque illud eſſet,
Odorarius Chriſti Canis
Sedulò auidèque currebat.
Quid? Dominicanæ familiæ
Nomen viuens Cherubinus dedit in terris?
In Chriſti complexum moriendo euolans
Societati Ieſu inſertus fuit in Cœlo.

Nella morte del medeſimo Soggetto.

S' allude all' Aquila dell' Arme.

S O N E T T O.

QVel coronato Augel, che ſiede al lato
Armigero fedel in Cielo à Gioue
Dal nido i figli ſuoi porta la, doue
Il Pianeta maggior' arde infocato.

E ſtando in dubio, ſe da lui ſia nato
Quel tenero Aquilin di la no 'l moue
Se ei con mirar' il ſol non fa le proue,
Che dall' Aquile ardite è generato.

L' Aquila, o Cherubin, ch' Aquile ſuole
In tua Caſa nutrir, hoggi ha deſio
Di prouar' il valor di te, ſua Prole.

Ti porta sù nel Ciel, e dice à Dio;
Nel tuo lume immortal' eterno Sole,
Certa proua vò far del parto Mio.

Inſcrizione al Sepolcro, in cui ſi volgariza quel verſo commune à ſepolcri:

CORPVS HVMO TEGITVR, SPIRITVS ASTRA TENET.

Applicandolo all' Aquila, & alla Spina, che ſono nell' arme ſua con includerui anche il di lui cognome:

Fer MA LA SPINA è qui l' Aquila vola.

BITVRGIA

Ad Cherubini Sepulchrum.

ELEGIA.

ILluſtres poſtquam exuuias ſine lege Parentis
Cinxit odorato nobilis vrna ſinu.
Has iuxta fertur voluiſſe Biturgia voces
Mæſta oculis, vultu pallida, ſparſa Comas.
Hic iacet; hic tumulus pallentibus obruit vmbris
Corpora ſidereis ſplendidiora globis.
Hic dulcis ſomnus decorum inſtrumenta meorum
Siſtit, & hic ſiſtit iam mihi fama tubam.
O mihi quot mæſto ſurgunt de marmore flammæ
Vnde ſuas ducant languida corda faces!
Aſt age tam miras marmor iaculare fauillas
Dum parit illæſas hic tuus ignis aquas.
Atque vtinam facilem in flammam tenuarer! alirem
Nocturnum ſpargit quà vaga luna diem,
Et quà Zona rubet Phœbeo torrida curſu
Quàque ineunt dulces ſidera pulchra choros.
Alludit ſtemmati in quo pingitur Aquila. *Sed noſtras tu ſume vices, atque vtere fœlix*
Sorte tua, volucres cui ſua ſceptra ferunt.
Finde auras tenues, lunam ſupera, atque Diei
Splendentem intrepido lumine Cerne Patrem.
Crediderim æternum vitali è fonte vigorem
Ducere ibi quærit quem modò noſter amor.

Alarum

Alarum plauſus vel te ferat, æmula ſolis
Quà nectunt illi ſydera mille trhonum.
Sydera mille trhonum nectunt, ceu ſimbola prædæ,
Vouit quam ſupero, Dite fremente, Duci.
Hoc patrium me ſtemma docet, cui pectus inaurat
Fæcundus multo veris honore vepres.
Si quos durus Amor, ſi quos nimis ebria dulci
Sidere in exitium nobile vita trahat;
Vulnificæ ſpinæ! tamen illius vſque labore
Irriguæ flores progenuere Sacros.
Non ſic à ſummo ſpinæ cruor impius ore
Elicuit (tellus, te reticente) roſam.
Quin etiam dulci arte ſolers ornauit amictu
Herbarnm & florum verſicolore iuga:
AEterna ò dignos, Paridis nòn, laude labores!
Dum teneras hæc ad paſcua ducit oues.
At via iam voci nimio intercluſa dolore eſt;
Sit dixiſſe ſatis non potuiſſe loqui.

Alludit ſtemmate inquo pingitur ſpina florida.

In

IN EVNDEM

EPITAPHIVM.

Cherubini Malaſpinæ Biturgienſis Epiſcopi
Cineres & oſſa condit hic tumulus:
Animum quis habeat locus,
Lector, hinc conijce,
Duodennis Dominicanæ Familiæ nomen dedit
In qua ad Prouinciæ adminiſtrationem
Aliaque conſpicua paſsim munera
Maxima cum laude ſemper adhibitus
Sanguinis auiti fulgorem
Ingenio iuxta protulit & virtute.
Caput illi deinde Inſula
Vitam omnem intaminatus candor
Inſignijt.
Suo igitur funeri adhuc ſuperſtes
Cadentis ad inſtar ſolis mori tantùm eſt viſus
Qui ſua poſt fata omnium viuit in corde
Victurus æternitati.

Deeſt oratio funebrit extemporanea Biturgiæ habita, aliaq; deſiderantur dicta in Accademia Celebrata in Collegio Societatis Ieſu ibidem die Octaua poſt obitum eiuſdem Illuſtriſs. Præſulis. Quorum partem, & orationem negauit Auctor in præſenti, ſe daturum promittens cum plus otij nactus erit ad ea oculis percurrenda.

Nomina

NOMINA DISCIPVLORVM

QVI IN ACADEMIA DIXERVNT.

Alexander Muglionus.

Antonius Melioratus.

Bernardinus Pichus.

Hieronymus Pichus.

Io: Baptiſta Mercatus.

Raijnerius Franciſcus Guelfius.

Raijnerius Franciſcus Lombezzius.

Ventura de Venturis.

ALIVD ELOGIVM.

INCERTI AVTHORIS.

Quid ſuſpiria? Quid lamentationes?
Taceat à Lacrijmis Pupilla, non Vox à Iubilo,
Nam de SPINARVM Deſerto, ad Beatitatis Eliſium
Volauit CHERVBIN
Eccleſiæ Vineam, DEI Sabaoth Paradiſum
Igneo Zelantis ſollicitudinis Gladio
Cuſtodiuit fidelis,
Ad omnem paratus vigiliam,
Vt Rebellem Adam, ſingularemque ferum
Vindex arceret imperterritus.
Vere Angelus Domini Exercituum.
Nil mirum, ſi vocatus à DEO
Requieſcat in Templo Pacis.
Illumque adoret viuentem in Cælis, per ſæcula,
Quem mortuum in SEPVLCHRO
CVSTOS eſt veneratus in Somnis
Procul ergo ſuſpiria, Procul lamentationes.

ALIA SEPVLCHRALIS

INSCRIPTIO.

Supradicti Reuerendiſs. P.

D. RODVLPHI DE FORASAXIS
Abb. Ciuitatis Piſtorienſis.

Admirare Lector Heroem vix natum;

Qui in limine vitæ, quaſi militiæ dat nomen

Malaſpinæ Ferrantis Aniceti:

Spina nempe repugnaturus Carni, Ferro oppugnaturus Mundum,

Vt [quod ſonat ἀνίκητος] expugnaturus dæmona;

Ergò alter Hercules in Cunis,

tricipiti cæſo Serpente,

Candidatus ſimul, & veteranus miles

Alba, & Nigra Dominici clamyde, ceu de reuectis triumphat ſpoliis.

E conſpectu Solis Angelici

& candidam Phœnicem dixeris, quæ ſæculo emortua, Deo reuixerit,

& nigram Proſapiæ ſuæ Aquilam, quæ Cælum violenta rapuerit.

Stirps Regia Malaſpinarum

Dudum effloreſcens in faſces, in Sceptra, in diademata,

nouo Sudore irrigata

(hoc primas regente Cathedras, occupante ſedes, moderante leges)

denuò protuberauit in lauros, prominuit in Coronas.

Flora Mater in Decanum ſuæ Vniuerſitatis adſciuit,

quæ fortaſſe nouit

inter Apes, quæ è floribus ſuis colligunt Theologica mella,

ipſum præ cæteris Apibus primatu dignum,

Qui Malaſpinas, & aculeos Mundo reliquerit.

Mox Antiſtes S. Sepulchri ab Etruriæ Sereniſs. præoptatus, & à Sanctiſsimo cooptatus eligitur,

Veriùs creatur, qui ex nihilo ſui,

quippe non ex animi ſui voto, ſed populi, omnium expleuit vota.

Cum eſſet Malaſpina, meſſem vberrimam ſepiuit, non ſuffocauit:

Non ab re appellatione, & re Cherubim, qui Magiſterio æquitatis, Integritatis, Amoris

eleuauit ſe ſupra ſe.

Vt tamen noſſet ſe eſſe hominem, cum videretur Angelus,

Monimenta ſua Monimento S. Sepulchri, tanquam in ſua ſede, viuens, & moriens locauit.

Nec tuas, Amice, vult lacrymas eiulatrices ſed Cæſarum æmulatrices,

Nec laudationis plauſus emendicat Cherubim,

Qui ſe ipſo velocius fama volat, vocalius fama diſcurrit.

IN

IN OBITV

Eiuſdem Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Domini

D. CHERVBINI MALASPINÆ

BITVRGIENSIS EPISCOPI.

SEPVLCRALIA.

AVCTORE

Admodum R. Patre Sigiſmundo Regulo à Sancto Syluerio Florentino Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Sacerdote, ac Publico Humaniorum Literarum Lectore.

ELOGIVM.

EXPAVESCE
Diuinæ legis Contemptor;
Fanum hoc,
Vt Paradiſum ingredere,
Cui CHERVBIM præeſt,
Non Gladio, 1 vt quondam, Ignito,
Sed
MALA rebellibus 2 SPINA
Communitus.

1 Et collocauit ante Paradiſum Voluptatis Cherubim, & flammeum gladiũ Genes. cap. 3.
2 Alluſio ad Gentilitiam Spinam.

Hic

Hic
Dominici 3 *Canis Vigilantiſsimus Filius*
Ad cuſtodiendum 4 *Chriſti Gregem*
Eligitur.
Cæleſtè planè conſilium!
Vt
Qui ſibi imperare probè iam nouerat,
Imperaret & cæteris.
5 *CHERVBINVS*
Cum Ipſe eſſet doctrinà,
6 *SERAPHINOS*
Vniuerſos effecit exemplo.
BITVRGIENSEM ECCLESIAM
Ità cuſtodiuit vigilijs,
Vt à Serpentis
Omninò tutaretur ingreſſu.
SANCTI SEPVLCRI
Nullos in Vmbra Mortis patiens
Iacere,
Non niſi Sanctè viuendum
Opere priùs oſtendit,
Quam Verbo;
Ac tandem,
Ne CHERVBIM videretur Corpore
Vt Mente;
BITVRGIENSIBVS SVIS
Reliquias humanitatis reliquit.

3 Alluſio ad Canem ſub cuius ſpecie fætanti Matri S. Dominicus in ſomnis demõſtratus eſt.

4 In Epiſcopum eligitur.

5 Cherubini attributio eſt Sapientia.

6 Seraphini attributio amor in Deum.

ELOGIVM

E L O G I V M
S E C V N D V M.

CHERVBINI MALASPINAE
SANCTI SEPVLCRI PRAESVLIS
Sepulcrum cernis Viator,
Qui,
Vt vere Roſeus
Eſſe poſſet in cæteros,
MALASPINA 1 *eſſe voluit in ſe,*
Vt Aureus, Ferreus. 2
ANICETI 3
Factis Nomen adæquans,
Semper INVICIVS apparuit.
Terram,
Ex qua SPINA Iſta prorupit,
Sterilem putas?
Falleris:
Amæniorem, Fæcundiorem
Effecit.
Fælix Terra
Quæ huiuſcemodi SPINIS
Frequenter ſcateret.
Criminis Partus 4 *olim ſi SPINAE*
Fuerunt,
Hunc credendæ ſunt Gratiæ.
In Rubo 5
Deus quondam apparuit;

1 Alluſio ad Cognomen.
2 Alluſio ad Nomen Ferrantis, quo ante Religionis ingreſſum appellabatur.
3 Aniceti etiã nomen proprium illi in ſæculo fuit: autem Inuictum ſignificat.

4 Spinas, & tribulos germinabit tibi Genes. 3.
5 Apparuitq; ei Dominus de flammã Ignis de medio ruti Exod. 3.

Nouiſſime

Nouiſsimè viſus in SPINA,
Quæ
Diuini Amoris flagrans ardore
A Concupiſcentiæ Flammis
Incombuſta remanſit.
Hac SPINA

6 Venerem ſpina in calcaueo vulnera tam fuiſſe fabulantur Poetæ.

6 Semper puncta Venus,
Aliquandò pudorem induere
Docta eſt.

7 Nunquid collignnt de Spinis Vuas. Matt. 7.

7 Qui Botrum de Spinis,
An queat colligi dubitas,
SPINAM iſtam inſpicito,
E qua,
Non Vuam inquàm,
Sed Nectar Dei ore deguſtandum,
Erupiſſe conſpicies.

8 Capite nobis Vulpes paruulas,quę demoliuntur Vineas Cantic. 2.

8. Vulpes
Animæ Vineam
Eis Demoliri nunquam valuerunt,
Qui Aurem ſuam

9 Sepi aurem tuam Spinis. Eccleſiaſt. 28

9 Sepierunt Hac SPINA;
Quæ
Ad Eccleſiæ Meſſem,

10 Et ſimul exortæ Spinę ſuffocauerunt illud. Matt. 8.

10 Non ſuffocandam, ſed muniendam, ſed ornandam exorta.
Suo Munere iam perfuncta,
Inter Cedros Libani
Collocatur.

ELOGIVM

ELOGIVM

TERTIVM.

IN MALASPINAM
Qui offendis
Quid times Viator?
Vulneribus hæc SPINA nata eſt,
At verò ſanandis.
Regium ſuæ Proſapiæ 1
STEMMA
Regijs CHERVBINI moribus
Colluſtrauit.
Ne Auitæ AQVILAE
Nepos degener videretur
Nigrum Dominici veſtiuit 2
Amictum;
Albo tamen coniunctum.
Quo ingenitum Cordis candorem
Demonſtraret;
Quinimmò,
Vt AQVILINAS Acies experiretur 3
Aquinatem Solem
Voluit intueri;
Ac melius
CHERVBIM vt videretur, & eſſet
Angelicam ebibit Sapientiam
Non minus, quam Puritatem.

1 Aquilam præfert in Stemmate.

2 Sancti Dominici Religionem ingreditur.

3 Solis intuitu de pullis ſuis Aquilæ periculum faciunt.

MVIJOS

AQVILAE
Quam SPINAM vides coniunctam
4 Fulminibus
Materiem præbuiſſe percipito,
Quæ Rebelles tractanda
Illi tribuit Deus.
Hic denique
Morti Vectigal perſoluit,
Vt propriæ Mortalitatis
Exemplum ſumeret Homo,
Dum
Mortalitatis legibus Succumbit
CHERVBIM.

4 Epiſcopalem poteſtatem intellige.

ELOGIVM.

QVARTVM.

FERRANTEM ANICETVM
Vt creauit Omnipotens
Nouam ſibi Fœderis Arcam
conſtruere meditatus.
Præſignatam ab Ipſo Materiam *
Contempleris Viator,
Qui hanc adhuc ignoras.
En
Albam Spinam ob oculos tenes
Gentilitio MALASPINARVM in Stemmate
præfulgentem.
FERRANTIS vitam ſcrutare;
Ipſius in corde
Legem aſſeruatam reperies.
Huic,
Vt foris non minus, quam intus,
Aureus eßet,
FERREVM nomen adempitum.
Ne Cherubim Nouæ Arcæ deeſſent,
CHERVBINI Nomen impoſitum.
Dagon Idolum
Cum Arca Iſta.
Quieſcere nunquam viſum eſt.
Oraculum

* Lignum Setim Spinę Albæ ſimillimũ fuiſſe Vgo Card. teſtatur.

F   *In*

In Ipſa collacatum à Deo
Reſponſa certa,
Diuina conſilia patefecerunt.
Propitiatorium comperijt
Quiſquis irritatum criminibus Deum,
Leniorem per illam inuenit.
Vt Biturgienſes
Hoſtili ab Inferorum incurſu
Defenderet
Arcam Iſtam Biturgiæ collocauit;
Vt perennè quieſceret,
E Biturgia
Cæleſtis in Ieruſalem tranſtulit
Sanctuarium.

ELOGIVM QVINTVM.

Siſte qui pergis Viator,
ac lege.
Mortalitatis Teſtimonium,
Quod Suis Tibi Cineribus
CHERVBINVS MALASPINA reliquit
Intuere;
Immortalitatis exemplar,
Quod Suis Moribus expreſsit
Apprahende.
Ex Nobiliſsimis Iſte de Fos denouo Comitibus
Genitus
Vix Amplitudinem Suæ Domus aſpexit,
cum deſpexit.
Dominatum omnem anguſtum putans,
Qui Terræ limitibus
Perſtringeretur;
Tanta ſcilicet Regiæ Mentis fuit Maieſtas,
Vt, ſpatiari, niſi in Cælo non poterit;
Quapropter
Auguſtiſsimam Dei Seruitutem
In Sancti Dominici Religione
Ex corde complectens,
*Apoſtolico AEtatis ſuæ Anno**
Apoſtolicam Vitam aggreſſus eſt,

* Duodecim annos agens Religionem adiuit.

Cui
Ne Apoſtolicum etiam Munus deeſſet,
Ad Sancti Sepulcri Epiſcopatum
Euehitur;
In quo
Melius, quam Suis in Sepulchris Plato
Diuinam Philoſophiam,
Sanctitatem videlicet
Mortis Memoriâ cum diutiùs docuerit,
Optato tamen maturiùs
E Mortalium oculis ereptus,
Ad ipſius Obiectum,
Cui ſemper
Deſiderio fuit coniunctus
Etiam ſpiritu iungitur.

A L L V S I O
AD NOMEN CHERVBINI.
EPITAPHIVM.

Qui Tumulum cernis lacrymas abſtergito: Terris
Eſt Cherubim longas non habuiſſe moras.

A L L V S I O
A D M A L A S P I N Æ
C O G N O M E N T V M,

Et miram Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Præſulis morum dignitatem.

Parcite Vos Generis Socij, MALE SPINA vocatus,
Quem decus oſtendit, folgor, odorq; ROSAM.
Decipior: ROSEO nituit bene SPINA decore,
Nam ſolet è SPINA diradiare ROSA.

ALLVSIO

ALLVSIO

AD SANCTVM SEPVLCRVM,

Cuius ipſe Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Dominus Epiſcopus fuit.

EPITAPHIVM.

Hoc Tumulo CHERVBIN tegitur MALASPINA PROPAGO,

Qui bonus vt Paſtor, ſic bene pauit Oues.

Ne tamen hos Cineres extinctos crede: SEPVLCRO

Qui fuit aſſuetus Viuere non Moritur.

FLORENTINVM THEOLOGORVM COLLEGIVM

Sub Roſæ Nomine de MALASPINAE ſui iactura conqueritur.

Iam ſileat, fallax cecinit sì fortè Camæna,

Quod riget, amiſsà, SPINA relicta, ROSA.

Dum Cherubinus obit, lacrymis temerata rigeſco,

Amiſsà SPINA mæſta relicta ROSA.

ALLVSIO

A L L V S I O,

AD NOMEN ANICETI,

Q V O D

INVICTVM SIGNIFICAT;

QVO ANTE RELIGIONIS INGRESSVM

Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus Præſul appellabatur.

INVICTVM qui Nomen habet ceſſiſſe ſtupes, ne
  Dum cernis falci ſuccubuiſſe necis?
Falleris: Extremum peperit Sibi Morte trophæum;
  Sidera, vt accipiat præmia parta, petit.

L A V S D E O.

Il P. Maeſtro Leoni Domenicano ſi compiaccia di vedere, e referire ſe nella preſente opera ſia niente, che repugni alla Fede Cattolica, o buoni coſtumi.

Vinc. Bardi V. G. F.

Hò veduta per ordine di Monſignore Illuſtriſſimo Vicario la preſente raccolta di compoſizioni, e non auendoui trouata coſa veruna repugnante alla noſtra Santa Fede, o a' buoni coſtumi, le giudico degne d'eſſere ſtampate.

F. Gio: Domenico Leoni di propr. mano.

Stampiſi oſſeruati gl' ordini. *Vinc. Bardi V. G. F.*

Adi 5. Dicembre 1669.

Il Molto R. P. Maeſtro Lelio Mela Seruita Conſultore del S. Off. di Firenze veda, e referiſca.

F. Iacomo Toſini Vic. Gener. del S. Off. di Firenze.

Reuerendiſs. Padre Inquiſitore.

Hò veduto per comandamento di V. P. R. la preſente compoſizione, intitolata *Sepulchrale Solatium. Oratio funere &c.* Et anche l'altra compoſizione in verſi, di cui è il titolo *Elogia diuerſi generis. Carmina. In funere &c.* E non ci hò trouato coſa repugnante alla noſtra S. Fede, ne à buoni coſtumi. In fede hò ſcritto di propria mano queſto dì 6. Dicembre 1669.

Fra Lelio Mela de Serui Conſ. del S. Off.

Stante &c. Imprimatur Flor. die 16. Dicembris 1669.

Vic. Generalis S. Off. Florentiæ

Gio: Federighi Senat. & Audit. di S. A. S.

Z
1148.12

1145 12

ALLEGRI
LABORAT.
RESTAURO
LIBRI
PARMA

Digitized by Google